C aut epoti corymbi imbecillitatẽ pariunt, mentemq; turbant largius ſumpti. Pilulæ quinque corymborũ tritæ calefactæq; in malicorio cum roſaceo ſi inſtillentur in contrariã aurem, dolorem dentium mitigant. Denigrant capillum illiti corymbi. Folia in uino decocta, omniũ ulcerum generi, etiamſi cacoëthe ſint, illinuntur. Vitia cutis in facie & ambuſta, uti iam diximus decocta, ſanant. Mouent menſes triti & ſubditi corymbi. Iidem poti poſt purgationes fœminarũ drachmę pondere ſterilitatem faciunt. Pediculus foliorũ melle irrigatus, ac uuluæ inditus, menſtrua & fœtus extrahit. Succus inſtillatus in naribus, graueolentiã & putredines expurgat. Lachryma eius depilat, pediculosq; illita necat. Radicum ſuccus cum aceto potus, phalangiorum morſibus ſuccurrit.

EX GALENO.

Viridis, foliis eius in uino decoctis, ulcera grandia conglutinat, quæque maligna ſunt, ad ſanitatem reducit. Igne etiam factas exulcerationes cicatrice includit. Cum aceto decocta folia lienoſis proſunt. Flores autem quodammodo ualidiores ſunt, ut ad leuorem redacta cum cerato ambuſtis conueniant. Præterea ſuccus medicamentũ eſt, quod naribus infuſum capiti purgando idoneum exiſtit. Vetuſtas aurium fluxiones ſanat: ad hæc ulcera uetera tum in auribus, tum in naribus. Porrò ſi acrior appareat, aut roſaceo, aut dulci oleo miſceatur. Lachryma eius pediculos interimit, pilis nudat, uſqueadeo calidæ poteſtatis ut obſcurè adurat.

EX PLINIO.

Natura omnium Hederarũ in medicina anceps. Mentem turbat & caput purgat largius pota. Neruis intus nocet. Iiſdem neruis adhibita foris prodeſt. Eadem natura quæ & aceto, ei eſt. Omnia genera eius refrigerant. Vrinam ciunt potu, capitis dolorem ſedant, præcipuè cerebro: continentiq; cerebrũ membranæ utiliter
D mollibus foliis impoſitis, cum aceto & roſaceo tritis & decoctis, addito poſtea roſaceo oleo. Illinuntur autem fronti, & decocto eorũ fouetur os, caputq; perungitur. Lieni & pota & illita proſunt. Decoquuntur & contra horrores febrium, eruptionesq; pituitæ, aut in uino teruntur. Corymbi quoque poti uel illiti lienem ſanant: iecinora autem illiti. Trahunt & menſes appoſiti. Succus Hederæ tædia nariũ graueolentiamq; emendat, præcipuè albæ ſatiuæ. Idem infuſus naribus caput purgat, efficacius addito nitro. Infunditur etiam purulentis auribus, aut dolentibus cum oleo. Cicatricibus quoque decorem facit. Ad lienes efficacior albæ eſt, ferro calefactus: ſatisq; eſt acinos ſex in uini cyathis duobus ſumi. Acini quoque ex eadem alba terni, in aceto mulſo poti, tineas pellunt: in qua curatione uentri quoque impoſuiſſe eos utile eſt. Hederæ quam chryſocarpon appellauimus, baccis aurei coloris uiginti, in uini ſextario tritis, ita ut terni cyathi potentur, aquã quæ cutem ſubierit, per urinam educit Eraſiſtratus. Eiuſdem acinos quinq; tritos in roſaceo oleo, calefactosq; in cortice punici, inſtillauit dentium dolori à contraria aure. Acini, qui croci ſuccũ habent, præſumpti potu, à crapula tutos præſtant. Item ſanguinẽ excreantes, aut torminibus laborantes. Hederæ nigræ candidiores corymbi poti ſteriles etiam uiros faciunt. Illinitur decocta in uino omniũ ulcerum generi, etiamſi cacoëthe ſint. Lachryma Hederæ pſilothrum eſt, phthiriaſimq; tollit. Flos cuiuſcunq; generis trium digitorũ carptu, dyſentericos & aluum citam emendat, in uino auſtero bis die potus. Et ambuſtis illinitur utiliter cum cera. Denigrant capillum corymbi. Radicis ſuccus in aceto potus, contra phalangia prodeſt. Huius quoq; ligni uaſe ſpleneticos bibentes ſanari inuenio. Et acinos terunt, moxq; cõburunt, & ita illinunt ambuſta, prius perfuſa aqua calida. Sunt qui & incîdãt ſucci gratia, eoq; utantur ad dentes eroſos, frangiq; tradunt, proximis cera munitis ne lædantur.

Gummi etiam in Hedera quærunt, quod ex aceto utiliſſimum dentibus promittunt.

DE CE-

CERASVS